

15. Febr., et apud Sanctum Petrum benedictus et coronatus, mortuus¹ vero² et sepultus apud Sanctam Mariam Maiorem, sedit annos 4, men. 1, dies 17, et vacavit sedes annis 2, men. 3, d. 1.

Celestinus V^{us}, de regno Sicilie de provincia Terre Laboris natione, monachus ordinis sancti Benedicti, electus Perusii anno Domini 1294, die 5^o Iulii, resignato propter humilitatem suam papatu Neapoli, sedit men. 5, dies 8, et vacavit sedes diebus 11.

Bonifatius VIII^{us}, natione Campanus de civitate Anagnie, prius presbyter cardinalis, electus Neapoli anno Domini 1294, in vigilia nativitatis Domini, consecratus et coronatus, mortuus et sepultus Rome apud Sanctum Petrum, sedit annos 8, men. 9, d. 18; et vacavit sedes diebus 10.

Benedictus XI^{us}, natione Italicus de civitate Tervisina, ordinis fratrum Predicatorum, prius episcopus Hostiensis, electus Rome apud Sanctum Petrum anno Domini 1303, die 22. Octubris et ibidem benedictus et coronatus, mortuus vero et sepultus Perusii, sedit men. 8, d. 16; et vacavit sedes mensibus 10, diebus 28. Cardinalibus interim pro electione facienda sub uno conclavi manentibus et alias artatis a Perusinis — licet non quantum debebant — secundum constitutionem Gregorianam.

Clemens V, natione Gasco, prius Burdegalensis archiepiscopus, electus Perusii anno Domini 1305, die 5^o Iunii, in vigilia pentecosten. Benedictus vero et coronatus Lugduni, sedit annos 8, menses³ 5, dies 15.

Danach einige Zeilen freier Raum.

Henricus⁴ rex Romanorum, prius comes de Luceborg, tortuosus oculis, intravit primum⁵ Lombardiam eundo Romam ad coronam anno Domini 1311, 6. Kal. Novemb., et Mediolani apud ecclesiam sancti Ambrosii corona ferrea regni fuit primo⁶ coronatus per Castonem archiepiscopum Mediolanensem anno Domini 1312, in⁵ die epiphanie, et deinde per fratrem Nicolaum episcopum Ostiensem de mandato Clementis pape V. Rome in ecclesia Lateran. in festo apostolorum Petri et Pauli⁷, Ursinis contra eum tenentibus ecclesiam sancti Petri, anno Domini millesimo 312^o. Hic cum, afflictis⁸ variis guerris et⁵ exhaustis immensis pecuniarum exactionibus tam ante coronationem suam quam post fere per triennium Lombardis et

1) 'mortus' Hs. 2) 'est' ist getilgt. 3) 'meses' Hs. 4) Am Rande ist von anderer Hand folgendes ergänzt: 'Post obitum Alberti regis Rom, qui obiit a suis nepotibus interfectus anno Domini 1308, die apostolorum Philippi et Iacobi, hic Henricus electus est concorditer in regem Rom eodem anno die 27. mensis Novembris'. 5) Ueber der Linie ergänzt. 6) 'primum' war hinzugefügt, ist aber getilgt und 'et' über der Linie später ergänzt. 7) Am Rande steht, theilweise weggeschnitten: 'sancti P[etri] ad V[incula]'. 8) 'afflictus' corr. in 'afflictis'.